



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

I. Ex libris Mosis fluxit prisca Indorum religio; cum Guzarattensium,

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

PROPOSITIO IV.

Ex. Conf.
Porphy.
Plin. libr. 30.
cap. 1.

Euf. Præp. Ev.
libr. 1.

Clem. Alex.
Strom. 1.
Suid. in ſe-
pouſpns

Auct. Recogn.
libr. 4. cap. 27.

Porphy. in Vir.
Plotin.

tos, & effata ac sententias complexos Johannem Picum habuisse ferunt; infincerum & librum Zind, mihi de nomine solum cognitum, quo ritus magicos, & ignis co- lendi disciplinam aiunt contineri: infinceris & quos Hermippus, Plinio teste, ducen- tis versuum millibus sub Zoroastris nomine conditos, indicibus quoque positis expla- navit. Ex iisdem falsariorum incudibus profectus est supra memoratus Persicarum Le- gum codex Zundavastavv, quem vetustissimum tamen conjicio, & eundem fortasse, qui ab Eusebio Collectio sacra Persicarum rerum appellatur. Indidem profectus & quem fe in arcanis habere jaetabant, qui Prodi Philosophi doctrinam seculabantur, ut est apud Clementem Alexandrinum; indidem & quos commemorat Suidas; & qui de Magia, Zoroastris nomine scripti circumferebantur, ut haber Auctor Recognitionum; & quem tradit Auctor Astrologia cuiusdam Persica, Ebraice redditæ, ab eo lucubra- tum, & Regnum Dei fuisse inscriptum, & manibus Persarum assidue gestari esse foli- rum. Scribit Porphyrius, Plotini temporibus à Christians suppositos fuisse & confictos libros plerosque; in his Apocalypsin Zoroastris, cuius *vōdīas* à se, cum sermonibus, tum scriptis fuisse demonstrat. Hoc genere fraudis nimis sepe usi sunt priscorum Ecclesiæ temporum Hæretici. Adulterinæ illarum lucubrationes, quarum meminit Porphy- rius, Gnosticos auctores habuerunt, ad quos & confutationem suam scriptit. Nec dictu facile est, quantum Reipublicæ Christianæ nocuerint ejusmodi fallaciæ: nec enim Hæ- reticos ab Orthodoxis differerent Ethnici. Illorum itaque doli & nefariae artes in- famiam utrisque & odium conflabant. Nunc cum ex hac dissertatione clarissime pa- teat Zoroastrem ipsum esse Mosem, & vetustissima Persarum religionis fontem esse Mosaicam Legem, Mosis certe antiquitas luculentiter mihi videtur esse comprobata.

CAPUT SEXTUM.

- I. *Ex libris Mosis fluxit præsca Indorum religio; cum Guzarattensum;*
 II. *tum & Coromandelensum.* III. *Qui factum ut ad Indos*
Mosaica doctrina penetrarit.

Ex libris
Mosis fluxit
præsca Indo-
rūm religio;
cum Guza-
rattensum.

Megath. 1. 3.
Indic. apud
Clem. Alex.
libr. 1. Strom.

Strab. libr. 15.

Philostr. Apoll.
libr. 3. cap. 4. & 5.

I. **V**erutissimam esse Indorum Guzarattensum religionem nemo nescit. Præcipua ejus dogmata libro quodam continentur, cui nomen fecerunt Cha- ster; tantæ antiquitatis, ut omnem apud illos memoriam superet; exoleta lingua scripto, & ab hominum, præterquam doctorum aliquot, usu intermissa. Antiquos etiam habent priscorum Brachmanum codices, quos novitii Brachmanes studiose legunt. Tam manifestis autem & illustribus insignitis est secta hæc Mosaicæ historia & doctrinæ monumentis, ut nulli dubium esse possit, quin ex iis expressa sit: nam & de mundi, & primi hominis, primæque mulieris creatione eadem differit, deque primæ horum progenie virtutate, exitio, & reparatio. Deum narrant de celo delapsum in montem Meropurbatum, luce & radiis coruscum, Bremavio Patriarchæ legum suarum codicem Chaster de nube tradidisse: quia videlicet Mosem à Deo sic Legem in Horebo monte accepisse audiverant. Meropurbatum montem Meron esse suspicor In- die montem, Nyssæ proximum, hederae & vitibus confitum, ab ii celebratum qui Bacchi res gestas memorie commendarunt: nam & hinc ortum eum ferunt. Meros autem, quæ vox Græce *Femur* sonat, occasionem dedisse creditur Græcis Bacchum & Jovis femore natum fingendi. Æque certe fictitius videtur ille mons Meros; ac Bacchi ortus: sed tamen cum Bacchum confrater Mosis esse typum, ut probatum est à no- bis, cum sibi sub alio nomine asciscentes Indi, Meron quoque in fabulas suas transtulerunt. Tota hæc gens in certas tribus distincta est, quarum nulla est unquam per con- nubia, vel adoptiones, vel affinitates consociatio: quippe sic in duodecim tribus dis- cretam Israëliticam gentem cognoverant; inter quas, quemadmodum Levitica sacræ dedita est, ita apud illos sacræ procurandis Brachmanes vacant. Megasthemis, accu- ratissimi rerum Indicarum scriptoris, qui Alexandri magni temporibus apud ipsos Indorum reges historiam suam concinnabat, verba ea repræsentat Clemens Alexandri- nus, ex quibus intelligas veteribus Græcis, in iis quæ ad naturam pertinent, Brachma- nes & Judæos fere consentire. Itaque de mundi origine ea credidisse ipsos ex Megasthe- ne refert Strabo, quæ credenda esse Mose docuit; à Deo videlicet conditum, ab eo- dem regi, & olim interitum. Paradisi terrestris notitiam habuisse eos, cognoscitur ex colloquio Calani cuiusdam cum Onesicrito, quod refert Strabo. Portentisca ipsos virginem geftasse testatur Philostratus; instar scilicet Mosaicæ. Vester olim ipsi geri fo- litas describit Philostratus, non multum earum absimiles, quas Judæorum Sacerdotes

gerebant. Olei quoque unctione ad consecrationem utebantur, & nudis pedibus incedebant, perinde ut Moses cum ad rubum ardentem accessit. Decalogi præcepta veteris literarum monumentis sibi tradita retinent; ex quibus etiam literis futurum cognovunt, ut omnes homines unicæ legis imperio continantur. Præclare hæc intellexit Gulielmus Postellus nostras, cum scripsit in Commentario ad Jezirah, Brachmanes ad hanc usque diem servare sacra doctrine præcepta, in quibus eadem prescripta habent, que & Moses cœlitus accepit. Prodidit supra memoratus Megasthenes, Strabone & Arriano testibus, nefas eos habuisse viatam Deo aut mancam victimam offerre, & quamdam servasse legem talionis, quæ consentanea sunt præceptis à Moysi in Exodus & Deuteronomio traditis: & lege apud eos cautum fuisse, ne Indus quisquam se daret in servitatem; quam legem à veteris ipsorum Philosophis latam esse Diodorus affirmat. Nempe ortum habuit ex hoc decreto Mosis in Levitico: *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famularum, sed quasi mercenarius & colonus erit: usque ad annum Jubileum operabit apud te, & postea egredietur cum liberis suis, & reveretur ad cognitionem, & ad possessionem patrum suorum: mei enim servi sunt, & ego eduxi eos de terra Ægypti: non veneat conditione servorum; ne affligas eum per potentiam, sed merito Deum tuum.* Nunc etiam, dum peregrinantes matutinis horis ad iter se accingunt, Sacerdotes ipsorum perticam depangunt in terram, cujus summitas circumdata est serpens simulacro. Id venerantur singuli, & salutant: traducto nimirum more ex æneo serpente Mosis.

Strab. libr. 15.
Arrian. Indic.
Deut. 15. 21.
Exod. 21. 24.
Lev. 25. 39, &
seq.
Diodor. libr. 2.

II. At non una est Indorum omnium Ethnorum de rebus divinis sententia: nam tum & co-
secta sunt apud eos longe plures, quarum omnium discrimina notare nihil necesse est. remandentur
De Coromandelensis huc adjecisse quædam sufficiet. Hi quamvis à Guzaratensisibus sum.
discrepant religione & moribus, non pauciora tamen retainent Mosaicæ doctrinæ vesti-
gia: nam & ipsum quoque Mosem sub Annura nomine celebratum ipsis fuisse non-
nulli arbitrati sunt. Deum unicum, mundi conditorem agnoscent. Cassiopam à Bram-
ma Dei filio genitum ferunt citra mulieris consortum, primum Brachmanum paren-
tem fuisse, Diti uxorem duxisse, liberos alios pietate insignes & aequitate, alios im-
pios procreasse; sic Adami, (quem & de nomine Bengalensis norunt) Eva, Abeli,
& Caini historiam adumbrantes. Ante orbem conditum nihil extitisse aiunt præter
Deum & aquam, propter illud Geneseos: *Et spiritus Domini cerebatur super aquas.* Gj.
Genet. 1. 2.
gantium fabulam ad sextum Geneeos caput expressam habent. Coram idolis suis fal-
tant, itidem ut Ebraei coram vitulo aureo: quem tamen morem, ut verum fatear, vi-
dentur utrique ab Ægyptiis accepisse. Quemadmodum enim ritus plerosque hauserunt
Ægypti ab Ebraeis, ita Ebraei vicissim ab Ægyptiis, apud quos diuturnam fecerunt
moram, multos acceperunt. Indorum vero Ethnorum, de quibus agimus, religio ab
Ægyptiis fere, sed & à Persis etiam, aliisque prodiit, qui institutis Ebraicis imbuti,
eadem ipsis communicarunt. Porro sacra illa coram idolis saltatio invaluit apud omnes
propemodum gentes, jam inde ab antiquis temporibus. Ad idola accedentes Brach-
manes tintinnabulum gestant, instar tintinnabulorum summi Ebraeorum Pontificis.
Pueris aures perforant, quos in perpetuam servitutem Deo sunt mancipaturi; quo
ritu, inter Ebraeos, dominis suis servi in perpetuum se addicebant. Ex inextincto
Ebraeorum igne prodierunt lychini diu noctuque coram idolis Indorum ardentes. Puer-
peras & pueros à parti recentes immundos esse, atque hanc immunditiam aquis ablui-
rentur; tum pueris nomina paucis ab ortu diebus impontunt: quæ Ebraorum institutis
omnia consentiunt. Incesta, & adulteria supremo supplicio fanciunt, juxta præscri-
ptum Mofis. Solis Brachmanibus, itidem ut Levitis, patent interiora Templi, reliqui
arcuntur. Luftricis aquis lavantur utrique ad eluendas impuritates, & noxas expian-
das. Morticinorum contactu sese pollui centent utrique. Cibaria idolis Brachmanes
apponunt, instar Panum propositionis. Brachmanes puerillas impubes ducre tene-
bantur, quod & de summo Judæorum Pontifice scribunt Rabbini. Ritus nuptiarum
apud Brachmanes perficitur oriza ter a sposo in caput sponsa profusa: quod frumento
profuso Judæi faciunt. Atque hujus moris typus fuisse videtur confarreatio. Brach-
manibus & Judæis usurpatum mortuorum lavatio. Brachmanis cædes, itidem ut Judæi,
peregrinationibus expiatur. Celebris est apud illos Merouva montis mentio, de quo
mira quædam narrant, quæ vox nomina Meropurbatei, & Meri montium repre-
sentat, de quibus proxime egimus. Scribit præterea Rabbinorum doctissimus Maimoni-
des, idololatras Indos Adami & Evæ, vetite arboris, & serpentis fallacis historiam
sua etiamnum ætate novisse. Verum, ne quid dissimilem, hæc Coromandelensem
Indorum religio, multo videtur Guzaratensi recentior, ut pote Judæorum posterioris
ævi institutis aliquot perspersa. Redolet quoque Christianorum doctrinam, vel olim à
sanctis Apostolis Thoma & Bartholomæo, & deinde à Panteno, aliisque, vel ex Per-

Maimon, Mo-
re Nea, Part. 3.
cap. 29.